

dianae autorem. In eundem modum dicta sunt, quae doctissimus *Patinus* alio loco de his protulit

*Gundlingio* dicta praecipue conueniunt. Ipse Dux *Ioh. Fredericus* a bello Bohemico quidem prorsus se abstinuit, & anno 1621. plane ab *Vnione* ista Protestantium, cuius fuerat pars, recessit, neque etiam illud cum Suecis bellum attigit, qui quippe anno jam 1628. vita hac excessit. *Frederici* vero, filii, res gestae in isto, quod vocant, tricennali bello, inter Suecos praesertim enituerunt. Non inconsultum videbitur heic loci praecipua momenta vitae herois fortissimi commemorasse, cuius breuior saltem facta est mentio in Tabula XXIV. GENEALOGIAE WIRTEMBERGICAE *Pregizeriana*. Cum Fratribus *Eberhardo*, postea Duce, atque *Vlrico*, anno 1631. *Lugdunum Gallorum* concefferat, addiscendae architecturae & reliquae militaris rei causa. Peste inde pulsi *Geneuam* secedebant, vbi anno exacto multum in litteris profecerat noster. *Vlterius* tum iter ingressus est, anno 1634. & Galliae Italiaeque insigniorem peragrauit partem. Inde vix domum reuersus, nouo accingebatur itineri. Per Galliam, Belgium, Angliamque in Insulas contendebat Danicas, vbi honorificentissime exceptus fuit. Suadente Danorum rege, posthaec aulas etiam Saxonicae & Imperatoriae Viennensem visit. Postquam & exinde discesserat, redux ad partes Suecorum applicuit animum & in exercitu *Bernhardi* magni, *Vinariensium Ducis*, militares mereri laureas cepit. Anno 1640. a Galliarum Rege duabus olim *Vinariensibus* legionibus, quae sedecem compositae erant cohortibus, in vnam reductis tribunus militum vel Chiliarcha praeficiebatur. *Vinariensi* exercitu Thuringiam petente, cum illo erat, & in *Guelpherbytano* praelio, anno 1641. virtutis suae famam adaugebat. Sequenti anno ad Vallum *Kempense* denuo